

ARTICULUS III.

AN AUCTORITAS ET LOCUTIO DIVINA ETIAM CREDATUR IN ACTU FIDEI DE MYSTERIO REVELATO?

156. *Nota.* Omne iudicium, nisi versetur circa veritatem ex terminis notam aut immediatam, affirmat vel negat objectum suum materiale propter aliquod motivum seu objectum formale; adeoque intellectus in ejusmodi actu motivum attingit, et quidem *intrinsece*, si motivum non tantum moveat intellectum ad iudicium; sed ab ipso etiam iudicii actu cognoscatur: uti fit in actu fidei, qui *intrinsece* attingit auctoritatem et locutionem divinam, utpote objectum formale proprium *virtutis*, ad quam pertinet, et a quo in ratione actus theologici specificatur. Imo utramque *intrinsece ut quod* attingit, quia utramque affirmat, cum ita tendat fides: Credo v. g. Trinitatem, quia Deus, qui est summæ auctoritatis, revelavit. Præterea alii statuunt motivum fidei theologice ac præsertim auctoritatem divinam cognosci *per se ac immediate*, atque hinc tanquam veritatem lumine naturæ notam affirmari: alii contendunt illud cognosci *per aliud* et sic *mediate*, nempe per revelationem, atque hinc tanquam veritatem etiam revelatam affirmari per actum fidei seu credi. Ad quod intelligendum præmittunt, dupliciter posse revelari tam auctoritatem quam locutionem divinam; 1º. quidem reflexe ac explicite; sic revelata est Dei omniscientia ad Hebr. 4. 13. *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus*; et veracitas ad Rom. 3. 4. *Est autem Deus verax, et omnis homo mendax*; ac revelatio facta Matth. 2. 15. *Ut adimpleatur, quod dictum est a Domino per Prophetam: Ex Ægypto vocavi filium meum*. 2º. Exerceite ac implicite, quando nempe Deus revelans aliquod mysterium et proponens ut credendum, hoc ipso etiam implicite dicit se loqui et fide dignum esse, atque hinc suam locutionem et auctoritatem implicite et exercite revelat. De primo modo controversia nulla est, sed tantum de secundo.

157. *Dico I.* In actu fidei de mysterio revelato non affirmatur auctoritas et locutio divina ut lumine naturali nota; nec sufficit eam sic affirmari.

Prob. 1ª. p. Quia partim multi fideles rudiores non habent evidentem cognitionem de auctoritate Dei et falli et fallere nesciã; cum etiam doctiores quidam existimaverint, id non esse satis clarum: partim locutio divina non proponitur, neque ex ipso lumine naturali innotescit.

Prob. 2ª. p. Assensus fidei theologice est supernaturalis et altioris ordinis; ergo fundari nequit in notitia ordinis naturalis: est etiam ratione sui motivi certior quocumque alio assensu naturali; ergo similiter in minus certo niti minime potest.

Si ais 1º. Deum esse veracem et sapientem, est principium lumine naturæ notum; tum quia quisvis facile intelligit, veram esse hanc propositionem, saltem in sensu indefinito: *Deus est summe sapiens et verax*: tum quia hæc conditionalis saltem est immediate nota: *si Deus loquitur, verum loquitur*; ergo. 2º. Assensus fidei ut supernaturalis non debet inniti motivo per assensum supernaturalem asserto; tum quia supernaturalitas actus non desumitur a motivo: tum quia non omnia ad fidei actum concurrentia debent

esse supernaturalia; ut patet in potentia naturali ad actus supernaturales eliciendos concurrente; ergo. 3º. Quamvis auctoritas et locutio divina cognoscatur cognitione naturali, tamen per se ipsam habet infallibilitatem objectivam; neque cognitio supernaturalis aut fidei tribuit illi majorem infallibilitatem; ergo frustra requiritur assensus fidei auctoritati et locutioni præstandus ad certitudinem obtinendam. 4º. Divina auctoritas et revelatio per actum fidei asseruntur in ordine ad mysteria per modum suppositi, seu exercite supponendo illas aliunde existere; tum quia multa in assensibus tantum supponuntur tanquam aliunde nota, ut per se patet, et S. August. Lib. 8. de Trinit. cap. 5. docet: *Credimus Dominum Jesum Christum natum de Virgine quæ Maria vocabatur: quid sit autem virgo, et quid sit nasci, et quid sit nomen proprium non credimus, sed prorsus novimus*: tum quia actus fidei v. g. hic: Credo Trinitatem, quia Deus summæ auctoritatis revelavit, sic exponitur: *Certissimum mihi est Deum esse Trinum, quia, ut suppono, Deus summæ auctoritatis revelavit*.

Ad 1ºm. R. N. A. Nam 1º. nec rudis aut quilibet hoc etiam de Deo in sensu indefinito facile et evidenter intelligit: tum quia non quilibet de Deo cogitans, eum sibi proponit sub conceptu omniperfecti entis, sed sub idea potius causæ primæ aut superioris, ex qua non ita colliguntur perfectiones illæ sapientiæ ac veracitatis. 2º. Hæc conditionalis ideam ejusmodi de Deo supponit, quæ saltem omnibus immediate et per se nota non est.

Ad 2ºm. R. N. A. Nam 1º. supernaturalitas actus non desumitur a motivo; exigit tamen illud affirmari assensu supernaturali, sicut exigit illud supernaturali illustratione proponi. 2º. Non omne, quod concurrit ad actum supernaturalem, potest esse naturale, neque etiam supernaturalitatis rationem tribuit: e contra motivum saltem ut *propositum* et *assertum* debet esse naturale, quia est cogitatio sancta et objectiva motio ad actum supernaturalem; præterea etiam est illud principium, quod in actum fidei transfundere debet formalitatem firmitatis super omnia.

Ad 3ºm. R. D. 1ºm. *p. Ant.* Habet infallibilitatem objectivam quoad se C. quoad modum movendi ad assensum fidei firmissimum N. Modum movendi auctoritas et locutio divina acquirit ab illo actu, per quem intellectui credentis proxime applicatur et iudicatur existere: nisi itaque iudicetur existere actu firmissimo fidei, nequit movere intellectum ad assensum fidei firmissimum de objecto fidei materiali. Hinc etiam D. 2ºm. *p. Ant.* Cognitio supernaturalis non tribuit auctoritati et locutioni majorem infallibilitatem ut quod et ex parte ipsius objecti præcise C. ut quo et ex parte modi movendi ad assensum fidei firmissimum N.

Ad 4ºm. R. N. Ass. Nam quæ asseruntur, exercite saltem debent vel propter se vel propter aliud asseri; unde exercite saltem non tantum supponi, sed *intrinsece et ut quod* attingi debet vel propria evidentiã, vel aliud motivum, propter quod asseruntur. *Ad prob. 1ºm.* D. Multa in assensibus supponuntur tanquam aliunde nota, quæ per illos assensus non asseruntur C. quæ asseruntur N. Recte hinc quidem S. Aug. dixit, quod, dum credimus Christum natum de Virgine Mariã, non per hoc credamus, *quid sit Virgo, quid sit nasci, quid sit nomen proprium*: quia nempe Deus primum revelando, non etiam locutive testatus est, quid sit nasci, virginem ac nomen proprium esse; unde etiam sicut a nobis hæc non creduntur, sic etiam non

asseruntur : sed quia et motivum fidei, auctoritas scilicet et locutio, per actum fidei a nobis asseruntur, et quia Deus revelans aliquod mysterium auctoritatem suam et locutionem simul exercite revelat ; hæc non supponi duntaxat, sed asseri et credi possunt ac debent. *Ad prob. 2^{am}. N. Ass.* Ex communi consensu propositio illa ad normam aliarum omnium causalium sic exponitur : Certum mihi est, Deum esse Trinum : certum mihi est Deum summæ auctoritatis id revelasse : et ideo illud mihi certum est, quia hoc mihi certum est.

158. *Dico II.* In actu fidei de mysterio revelato auctoritas et locutio divina exercite credi potest et debet.

Prob. 1^a. p. Deus revelans aliquod mysterium, exercite simul revelat suam auctoritatem et locutionem ; ergo utraque exercite credi potest in actu fidei de mysterio revelato. *Ant. prob.* Quandocumque Deus revelat aliquod mysterium, intendit nos obligare et obligat etiam reipsa ad illud infallibiliter credendum propter auctoritatem et locutionem suam, adeoque per modum motivi interponit auctoritatem et locutionem : sed quando Deus sic nos obligare intendit et obligat ad credendum propter auctoritatem suam et locutionem interpositam, exercite ac implicite saltem revelat suam auctoritatem et locutionem : quia sic exercite revelat se hoc loqui, et scire rem quam loquitur, et veracem se in hac locutione esse ; ergo quandocumque revelat Deus aliquod mysterium, exercite simul revelat suam auctoritatem et locutionem.

Conf. Objectum formale, quod determinat ad cognoscenda vel amanda alia objecta, non indiget novo formali objecto distincto, ut ipsum cognoscatur vel ametur ; sed est formalis ratio attingendi simul se et alia propter se : secus enim daretur processus in infinitum ; ergo et objectum formale fidei nempe auctoritas et locutio divina, quæ determinat ad aliud objectum credendum, non indiget novo objecto formali distincto, ut ipsum seu auctoritas et locutio divina credatur ; sed potest esse ratio formalis attingendi simul se et alia propter se.

Prob. 2^a. p. Objectum formale non potest movere ad assensum, nisi ut cognitum ; ergo nec ad assensum certum, nisi ut certo cognitum ; ergo nec ad certum super omnia, nisi ut cognitum certo super omnia.

Conf. Actus fidei tanquam virtualiter discursivus nequit esse certior suo motivo : sed si auctoritas et locutio divina non crederetur, et quocumque naturali assensu affirmaretur, hoc ipso actus fidei certior esset, quam motivum ; quia fidei certitudo excedit omnem certitudinem aliam ; ergo.

Si ais 1^o. Deus aliquid revelans manifestat suam auctoritatem et locutionem solum *materialiter*, quia etiam Deus revelans intendit nostram instructionem, quin tamen hæc locutio manifestet. 2^o. Per actum fidei asseritur auctoritas et locutio solum in ordine ad mysterium ; ergo non habet actus fidei aliam certitudinem ex motivo, quam in ordine ad mysterium. 3^o. Assensus fidei est *mediatus* : sed assensus motivi propter se non est mediatus ; ergo non est assensus fidei. Denique mysterium quia est obscurum, non potest credi propter se, sed debet credi propter aliud ; ergo cum revelatio et auctoritas sit æque obscura, non potest propter se credi.

Ad 1^{am}. R. N. Ass. Quamvis enim non omnibus signis externis et vocibus

etiam conveniat, ut *formaliter* et *locutive* se manifestent, sed tantum *materialiter* ; tamen hoc dici nequit de revelatione tali, cui quis vult credi propter suam locutionem et auctoritatem ; quia hoc ipso virtualiter reflexe proponit et affirmat se loqui et fide dignum esse, sicut vult et facit, ut cognoscamus illum loqui et ob auctoritatem mereri fidem. Instructio aliaque ejusmodi, sicut sunt finis extrinsecus tantum, sic etiam extrinsece se habent tum ad Deum loquentem tum ad actum fidei : auctoritas vero et locutio pertinent intrinsece ad actum fidei, et intrinseca tendentia revelationis etiam est ad obligandum ad fidem ; unde et utriusque manifestatio locutiva saltem exercite fieri potest ac debet.

Ad 2^{am}. R. D. A. Per actum fidei motivum solum explicite et signate asseritur in ordine ad mysterium *C.* nequidem exercite et implicite in ordine ad se asseritur *N.* Constat ex dictis motivum non posse asseri fide divina in ordine ad mysterium, nisi asseratur etiam ipsum actu fidei : quod autem dicatur fidei motivum, uti omnia objecta formalia, asseri propter materiale non prohibet quominus etiam dicatur asseri propter se ; quia *τὸ propter se* excludit duntaxat aliud motivum distinctum, non autem objectum materiale ; quod una cum formali vel affirmatur tantum vel creditur.

Ad 3^{am}. R. D. M. Assensus fidei est mediatus respectu objecti materialis *C.* respectu objecti formalis *N.* Sicut enim actus fidei respectu objecti materialis, quod expresse revelatur, habet motivum a se distinctum, et hinc mediatus assensus est ; sic respectu objecti formalis, utpote quod exercite tantum revelatur, habet motivum indistinctum, et hinc mediatus esse nequit. Denique sicut motiva credibilitatis immediate afficiunt revelationem, hæc autem mediante tantum revelatum, et hinc non æque afficiunt utrumque ; sic nec utrumque æque obscurum est, sed *extrinsece* saltem notior revelatio præ revelato : quippe mysterium, quod seipsum non revelat, non habet motivum in se credendi, adeoque propter se credi nequit : cum vero auctoritas et locutio exercite reveletur, rationem credendi a se indistinctam confinet, atque hinc credi propter se potest : ab hoc autem non impedit obscuritas etiam motivo conveniens, eo quod ad assensum fidei non determinetur intellectus ab evidentia objecti, sed, supposita credibilitatis notitia, a voluntate, quam per speciale Dei auxilium præsertim adjutam, intellectus in obscuris sæpissime sequitur.

ARTICULUS IV.

IN QUID ULTIMO RESOLVATUR ACTUS FIDEI ?

159. *Nota.* Analysis hic est reductio fidei ad rationem motivam, in qua credens ultimato conquiescat, et ex qua sciens ac prudens valeat reddere rationem de sua fide, juxta illud 1. Pet. 3. *Parati semper ad satisfaciendum omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe.* Tota difficultas in eo est, ut fidei nostræ rationem poscenti quare credamus, respondeatur sine petitione principii et circulo vitioso, sic ut prudenter dubitari non possit, quin actus credendi sit et prudentissimus, et certissimus. Quia vero in fidei negotio plures actus interveniunt, illa interrogatio : cur credis hoc mysterium ? est æquivoca, et spectari potest vel secundum hunc vel alium actum,

aut fidem hoc vel illo modo sumptam, ita ut sensus sit : quare assentiris huic mysterio et illud certum esse affirmas ; vel quare vis credere, aut cur imperas hunc assensum certissimum ; vel quare iudicas hoc mysterium esse credibile et credendum ut a Deo revelatum ?

160. *Dico I.* Fides *creditive* sumpta ultimo resolvitur in divinam auctoritatem et locutionem, exercite revelatam et per ipsum fidei actum creditam.

Prob. In illud et illo etiam modo resolvitur ultimo actus fidei, sistendo intra terminos fidei proprios, quod et quo modo est tota et adæquata ratio formalis seu intrinseca assentiendi per fidem veritatibus a Deo revelatis. Sed hæc est auctoritas et locutio divina, et quidem intrinsece ut quod non tantum affirmata, sed etiam credita ; ergo.

161. *Dico II.* Fides *affective* sumpta ultimo resolvitur in illam honestam objectivam, propter quam voluntas imperat assensum fidei.

Prob. Fides *affective* sumpta resolvitur in illud motivum, propter quod credens vult credere : sed hoc motivum est honestas objectiva, propter quam voluntas imperat assensum ; ergo. Hæc honestas est illa, quæ reluctet in ipso actu volendi assentiri divinæ revelationi sufficienter propositæ ; quia hæc est objectum formale proprium specialis virtutis, quam *piam affectionem credendi* vocamus. Quanquam cum actus fidei imperari possit ab aliis virtutibus, v. g. obedientia, charitate etc. poterit quidem etiam resolvi in aliarum virtutum honestatem, sed minus proprie nec proxime.

162. *Dico III.* Fides *dispositive* sumpta ultimo resolvitur in signa credibilitatis.

Prob. Fides sic sumpta est iudicium credibilitatis inducens ad actum fidei : sed hoc iudicium ultimo resolvitur in signa credibilitatis ; quia si quis interrogetur, cur iudicet mysteria fidei esse per fidem *credibilia*, ita respondebit, ut ultimo sistat in hac ratione objectiva per illud iudicium attacta, nempe, quia dantur tot signa suadentia Deum illa revelasse : inde etiam est, cur Theologi cum *Hæreticis et Paganis* confligentes ad signa credibilitatis, per quæ nostræ Ecclesiæ credibilitas præ sectis oppositis demonstratur, recurrant ; ergo.

163. *Observa.* Ultima ratio alicujus assensus mediati, *per se* et manendo intra propriam lineam, non potest fieri nisi in motivum proprium intrinsecum ac specificativum talis assensus in quo ultimo quiescit. *Per accidens* tamen et transeundo ad aliam lineam etiam fieri potest in motivum extrinsecum ; et hinc fides etiam proprie dicta, si transeat ad actum voluntatis seu *piam affectionem credendi*, aut ad actum iudicii prævium credenditatis et credibilitatis, potest resolvi in assignata motiva utrique actui singularia et propria. Quamvis vero hæc non nisi certa aut tantum *naturaliter* evidentiæ sint, nihil tamen id obest certitudini ac firmitati maximæ assensus fidei ; cum ea tantum intelligantur esse motiva impellentia, de quibus ex damnata ab Innoc. XI. prop. 19. constat, quod præ eorum certitudine possit ipse fidei actus habere majorem firmitatem. Sunt ergo signa hæc nec motivum intrinsecum fidei ut fides est, cum eam secundum nullum prædicatum

essentiale specificent aut intentionaliter constituent ; nec sunt motivum fidei, ut certissima ac firmissima est, cum ab illis summa fidei certitudo ac firmitas non habeatur ; nec sunt motivum sub alia proprietate ; ergo nec in illa fides vel partialiter etiam resolvi proprie ac intrinsece potest.

QUERES : *Quidnam Ecclesiæ auctoritati in resolutione fidei sit concedendum.*

164. *Nota.* Spectatur a Theologis duplex Ecclesiæ auctoritas, humana et divina. *Humana* dicitur, quam habet Ecclesia secundum se considerata, seu ut est congregatio hominum unam rerum divinarum doctrinam perpetua traditione profitentium, in qua plurimi fuerunt viri sanctitate, sapientia et miraculis clari ; plurimi Martyres eandem doctrinam sanguine profuso sunt testati ; aliaque ejusmodi suppetunt signa ex quibus illi congregationi conciliatur fides et auctoritas humana quidem, sed tamen longe major, quam quæ alioqui historicis probatissimis tribuitur. *Divina* est, quæ Ecclesiæ debetur propter assistentiam Spiritus sancti specialem illi promissam, ac infallibilitatem in proponendis mysteriis fidei ; quæ utraque nobis constat ex verbo Dei seu revelatione divina ; de hac auctoritate præcipue quæritur.

165. *Dico I.* Fides *proprie ac creditive* sumpta non resolvitur ultimato in auctoritatem Ecclesiæ.

Prob. Ultima resolutio fidei *proprie* sumptæ nequit fieri, nisi in motivum actui fidei intrinsecum : sed auctoritas Ecclesiæ seu definitio ac propositio ejusdem, etiam ut habentis assistentiam Spiritus sancti, non est motivum fidei intrinsecum : cum non sit moraliter verbum Dei aut revelatio reflexa de directa revelatione, sed solum propositio et applicatio externa infallibilis revelationis divinæ ; ergo. Quippe Deus Ecclesiæ aliquid definiendi aut credendum proponenti nec revelat novam veritatem, aut prius jam revelatam recens aperit, nec illi præcipit, ut ejusmodi revelationem nomine Dei proponat ; sed solum illi assistit, ne in revelationis olim factæ sensu vero designando, aut controversiam decidendo, aut particulari universalem applicando erret.

Conf. Si fides ultimo resolveretur in Ecclesiæ auctoritatem divinam, resolutio hæc committeret vitiosum circulum et foret petitio principii ; nam interroganti : quare credis hoc mysterium ? deberes primo respondere : quia Deus revelavit ; urgenti : quare credis hoc Deum revelasse ? secundo responderes : quia Ecclesia, cui infallibiliter assistit Spiritus sanctus, hoc credendum proponit ; ulterius instanti : quare credis Ecclesiæ assistere Spiritum sanctum ? dicere oporteret : quia hoc Deus in Scripturis revelavit. Hæc vero Scripturæ ut Canonice cum deberent credi propter propositionem Ecclesiæ sub Spiritus sancti assistentia, ista autem assistentia vicissim propter Scripturas ; manifestum est fieri circulum vitiosum et principii petitionem.

166. *Dico II.* Fides *directive* sumpta potest resolvi in auctoritatem Ecclesiæ, non tamen ultimato.

Prob. 1^a. p. Certum est, Ecclesiam esse regulam extrinsecam infallibiliter proponentem, quæ sint vel non sint a Deo revelata ; unde sequitur, quidquid illa proponit ut dictum a Deo, hoc ipso esse sufficienter credibile, adeoque

voluntatem non solum prudenter posse, sed etiam debere assensum fidei imperare; ergo et fides *directive* sumpta in Ecclesiae auctoritatem resolvi potest.

Prob. 2^a. p. Quia si dicas, te ideo hoc vel illud credere velle, quia Ecclesia ipsum a Deo dictum esse testatur, atque ut tale credendum proponit; redit quaestio, cur credas aut unde scias, Ecclesiam id testantem non errare? Huic vero quaestioni non facies satis, nisi asserendo rationes alias, quae intellectum tuum convincant, ut iudices aut credas, Ecclesiam non posse errare; unde constat resolutionem illam non esse *ultimam*.

167. *Dico III.* Resolutio fidei in auctoritatem Ecclesiae, spectata praecise assensus fidei natura secundum se, non est *absolute* necessaria.

Prob. Ad eliciendam fidem alicujus mysterii nullus ex parte credentis actus requiritur, qui necessario nitatur auctoritate Ecclesiae, revelationem a Deo factam proponentis; quia hic actus esset talis, quo judicamus revelationem esse factam, vel quo judicamus eam esse credibilem: sed imprimis neuter praeter altero designari potest; deinde si etiam alteruter vel uterque necessarius asseratur, asseritur falsum; cum revelatio privata ad fidem sufficiat; ergo.

Conf. Quidquid ad fidem, ex ejus natura secundum se spectata, requiritur, sine eo nullus fidei assensus circa quamcumque veritatem haberi potest: sed datur aliqua veritas, cujus assensus potest haberi independenter ab Ecclesiae proponentis auctoritate, imo dependenter ab ea haberi nequit; nempe haec veritas: *Ecclesia est infallibilis fidei regula*, utpote quae a Deo est revelata, et tamen ab ipsa Ecclesia gentili ad fidem convertendo proponi nequit; cum is ad judicandum hanc veritatem esse credibilem et credendam nequeat ex auctoritate Ecclesiae de se id dicentis moveri; ergo.

DISPUTATIO III.

DE ACTU FIDEI.

CAPUT I.

DE ACTIBUS FIDEM PRÆCEDENTIBUS.

ARTICULUS I.

QUE ET QUALES COGNITIONES PRÆVIE AD FIDEI ACTUM REQUIRANTUR?

168. *Nota.* Ordo actuum, qui in fide elicienda *communiter* interveniunt, hic ut plurimum assignatur. 1^o. Proponitur mysterium, revelatio de mysterio, et motiva credibilitatis, seu rationes de existentia revelationis circa propositum mysterium. 2^o. Hæc motiva ponderantur et examinantur. 3^o. Inde oritur notitia de existentia revelationis. 4^o. Hanc sequitur cognitio reflexa tum de credibilitate, tum de credenditate mysterii. 5^o. Cognita hac credendi honestate et obligatione, voluntas ad fidem afficitur, imperatque intellectui assensum præstandum. 6^o. Consequitur actus, quo intellectus credit, h. e. veritati revelatæ assentitur, cum firmitate appetitive summa, propter auctoritatem et revelationem divinam. Hoc ex ordine cognitionem duntaxat de existentia revelationis, ac de credibilitate et credenditate mysterii, hic examinamus. Cognitiones præviæ sunt judicia, quorum primum vocari solet *directum* et *speculativum* de revelationis existentia, alterum *reflexum* et *practicum*, seu dictans honeste ac prudenter credi posse ac debere mysterium ob revelationem; de his quaeritur, an sufficiat esse probabilia, an vero requirantur certa, aut etiam evidentiæ?

169. *Dico I.* Requiritur et sufficit, ut iudicium *speculativum* actui fidei infuse prævium sit moraliter certum.

Prob. 1^a. p. Ad assensum fidei infusæ non sufficit notitia solum probabilis de existentia revelationis, ut patet ex num. 63.; ergo requiritur notitia certa. Sed certitudo omnium minima est in iudicio moraliter certo; ergo saltem iudicium moraliter certum prærequiritur.

Conf. Assensus innixus revelationi solum probabiliter cognitæ vel habet certitudinem adhæsivam, vel non? Si *primum*; ergo imprudens est ac temerarius, siquidem assentiatur cum omnimoda firmitate objecto ob motivum